



1567

1893

o. XVII, 291.

14.

DE FIDE

IUSTIFICANTE DISPVTATIO
Guolfgangi Pfenteri, pro
facultatis Theologicæ statutorū
iussis exequendis, in schola
Lipsensi, publicè habita.

ANNO

M. D. KLIIII. die XXII.
Augusti.

F 16

AD ROM. III.

Statuimus fide iustificari hominem, absq; operibus legis.

CVM IN HAC ETIAM LVCE ueritatis, quæ misericordia diuina refulsit in terris, sint qui tenebras adhuc amplectantur, ideo hanc sententiam D. Pauli proposuimus ad disputationem de iustitia, qua coram Deo iusti sunt homines, de qua concludi arbitramur, ea, quæ sequuntur.

CONCLUSIO PRIMA.

Tenendum est pro certo & indubitato, sola fide accipi iustitiam, eam, qua coram Deo iusti habemur & sumus. Et hoc D. Paulus se statueret ait: λογίζομεθα, inquiens, quod uerbum conclusionis & persuasionis significationem habet.

II

Non est necesse multas significationes fidei colligere. Nam de fide certè

DE FIDE IUSTIFICAN.

certè loquitur Paulus apprehens
dente beneficiū iustificationis, quæ
est Christianorum, sola uera fides.
Ne quis suo merito iustitiã deberi
sentiatur, sed ut intelligatur hanc esse
gratuitum beneficium misericor
dis Dei propter Christum, quod
conferatur credentibus. Et nihil ne
cesse est de notitia historiæ hoc lo
co, aut de intellectus habitu actiue
uerba facere, cum significat manife
ste fides fiduciam in saluatorem
CHRISTVM, & alieni meriti applica
tionem gratuitam, sicut paulo
antè dicitur: πάντες γὰρ ἡμαρτοῦ καὶ
ὑποδόντες τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. Δικαιοῦμενοι δὲ
ἅμα τῆ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτῶσεως
τῆς ἐργασίᾳ ἰησοῦ εἰς.

III

Non ergo est fides nostra uir

a ἡ tus

DE FIDE

tus, aut aliquid in nobis dignū remissione peccatorum, & iustitia æterna, quomocūq; formetur, sed remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo, & attributio iustitiæ propter CHRISTVM, non aliter contingere nobis potest, secundum uoluntatem Dei, quàm fide, qua accipimus beneficium misericordis Dei, ut & antè diximus.

IIII

Hæc fides est uera, uiua, non ociosa, nō ficta, sed occupata operibus bonis, & uegeta in exercitio charitatis, deniq; illa *ὑπόστασις* cui imponitur omnis spes felicitatis et uitæ æternæ, in assensione firma quæ inhæret uerbo Dei, & amplectitur bonam uoluntatem Dei declaratæ
per

IUSTIFICANTE.

per Euangelium de Messia.

V

Voluntas Dei patris est, ut scribitur in Ioanne, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam. Atq; hæc est doctrina CHRISTI & uox Euangelij, quod in CHRISTO IESU filio Dei gratis, absq; ullis meritis ipsorum, sola misericordia Dei, ppter mortem & sanguinem CHRISTI, remittantur peccata credentibus & donetur uita æterna.

VI

Hæc est πληροφορία, id est, certa persuasio de gratia & misericordia Dei erga nos. Hic motus est sancti spiritus, quo corda uiuificantur mortua in peccatis. Hic est sensus

a iij miseris

DE FIDE

miseri cordiæ Dei, quo conscientia peccatis & mortis imperio opprefsa, & Satanæ ui prostrata, erigitur & confirmatur, & consistit in iudicio Dei. Secundum illud Propheetæ: iustus ex fide uicturus est.

VII

Ita apparet fidem esse propositiã nobis, qua deducamur in uiam ad Deum, qua ueritatem cognoscamus, qua uita contingat animæ, qui est CHRISTVS.

VIII

Hac iustificati in nouitate ambulat, nec est formatione alia opus, cū hæc potius omnes uirtutes formet, quarum bonitas coram Deo ex fide manat, & absque hac, quicquid est in homine, damnabile est coram

IUSTIFICANTE.

coram Deo, neque illi placet in nobis. Secundum hoc, quod scriptum est: Quicquid non est ex fide, peccatum est.

IX

In summa, aut est iustitia nostrum opus, aut Dei. Si nostrum, cur oportuit CHRISTVM mori? Si Dei, subiiciamus nos uoluntati illius, & pareamus precepto, ut audiamus filium, qui uenit in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret credentes in eum.

X

Qui commendant charitatem, recte quidem faciunt, sed indisertè plerumque loquuntur. Nam qui non prius reconciliatus Deo fuerit, & propitium se habere Deum statuerit, quos
a iij modo

DE FIDE

modo illum diliget, aut quomodo
inuocabit infestū sibi? Cū autē au-
dimus CHRISTI uocē accersentis
omnes ad se pressos onerib. pecca-
torū, tū audemus freti hoc media-
tore, & orare, & inuocare, & lauda-
re Deum. Tum uerē diligimus eū,
qui nos prior benignitate sua com-
plexus fuit. Sicut ait Ioānes: Filioli
diligamus eū, quia ipse prior dile-
xit nos.

XI

Mirum est, tantā esse cæcitatē ul-
lorum, ut doctrinā fidei accusent,
quasi hæc bona opera excludat, cū
audiant hanc esse tantū in renatis,
qui sunt filij Dei, & oderunt pecca-
tū, quo se premi & urgeri sentiunt.
Nam neq; sine poenitētia remissio
peccatorum expetitur, neq; in poe-
nitentia

IUSTIFICANTE.

nitentia peccatorum exercētur peccata, aut non student homines placere Deo. Carnales enim, siue suis cupiditatibus seruiant, seu innitantur iustitiæ propriæ, non intelligūt mysterium redemptionis, seu liberationis generis humani. Qui autem cōfundunt nostram dignitatē seu meritum humanū cum gratia Dei, illi corrumpunt ueritatē diuinam. Nam nulla opera humana placant iram Dei. Et offert tamē nobis pacem Deus credētibus Christo, ergo uerè dicitur: Sola fides iustificat.

XII

Quamuis autem fide iustificati, necessario charitatē exerceāt, & omnibus uiribus nitātur, ut fugiant malum, & faciant bonū, non, n. po

a v test

DE FIDE

test fieri, quin bona arbor fructus bonos ferat: Non tamen sunt ulla opera charitatis aut dilectionis efficiencia iustitiæ. Est enim nostra iustitia CHRISTI iustitia, quæ nō acquiritur, sed accipitur, quā nō promoremur, sed quæ credētibus confertur & donatur. Non enim nos conciliamus nobis Deū, qui peccatis iustè irascit̃, sed renati per aquā & spiritum, reconciliamur illi in fide IESV CHRISTI.

XIII

In hac iustitia est gaudium, pax, quies conscientia. Certi .n. sumus nos placere Deo propter CHRISTVM, & scimus nobis Deum esse propitiū &c. Id nunquā fieret, si aliquid à nobis mereri aut consequi eam

IUSTIFICANTE,

eam iustitiam deberet, qua coram Deo iusti haberemur. Quoniã cū omnia fecissemus opera charitatis, maneret tamen hoc, ut cogeremur dicere, Serui inutiles sumus. Quomodo igitur statueret conscientia, sua opera placere Deo? Ita duraret perpetua trepidatio & anxietas, id est, inferni poenæ in hominib, nunquã satisfaciētibus uoluntati Dei. Itē gloria debetur omnis soli Deo, Ergo homines corã Deo gloriari nō oportet, meriti autē est gloria, sequitur ut sola fides iustificat. Hęc confirmātur breuiter sic: Ite & prædicare Euangeliū omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Et, Gratia saluati estis per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum

DE FIDE

donum est, & non ex operibus, ne quis glorietur.

XIIII

Credientium autē opera placent Deo, quia facientes diligit propter filiū suū. Nihil est enim damnationis ijs, qui sunt in CHRISTO IESU. Atq; hæc est sententia uera, certa, nihil habens perplexi, simplex & plana, nitēs uerbo Dei, & expressa scripturis sanctis, utilis Ecclesiae & laborantibus ac afflictis conscientijs necessaria.

XV

Dicit CHRISTVS Ioan. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit in regnū Dei ingredi. Non ergo est, quod quæramus quomodo diuersæ uires animæ diuersa

IUSTIFICANTE.

uersa ratione iustificentur. Nam ut
totus homo est propter peccatum
primi hominis iniustus, ita fit ius-
tus propter unius iustitiam. Hoc
etsi dicitur ita, ut sapientes pro stul-
titia habeant, & isti sancti ac iusti,
(quorū causa CHRISTVS non uenit,
sed ut peccatores saluos faces-
ret) iniquis auribus accipiant, cre-
dentium tamen hæc sola est sapien-
tia, iustitia, cōsolatio, lætitia, in qua
acquiescūt in fide domini sui IESV
CHRISTI, relinquentes exquisitio-
nes istas & subtilitates ijs, qui non
cauent ne fallantur per sapientiam
& fallaciā inanem secundū homi-
num tradita, ut dicitur ad Coloss.

XVI

Mentiūtur itaq; qui calumniā-
tur

DE FIDE

tur, hac fidei doctrina hominibus offerri ac præberi occasionē licentiamque peccandi, quam & D. Paulus calumniā ad Rom. vi. firmis argumentis confutat. Imò quo magis hæc fides in animis fidelium crescit ac augmentatur, eò minus homo peccat, fides .n. non delectatur peccatis, sed fugit peccata.

XVII

Et quamdiu fides hæc persistit in cordibus hominū, tamdiu etiā permanet spiritus, qui perpetuò luctatur cum carne & concupiscentijs eius, Secundum hoc dictum Pauli: Spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritū. Vbi uerò animus hominis securè delicijs carnis perfruitur, operibusque
tenebras

IUSTIFICANTE.

tenebrarum incumbit, ibi confestim expellitur spiritus sanctus, quo expulso, mox extinguitur quoque fides ipsa.

XVIII

Ne igitur fidem amittamus, sedulo precibus pijs Deus implorandus est, quo suo uerbo nos ducat, ut fide purificati, operam demus, per bona opera uocationem & electionem nostram (uti cohortatur D. Petrus) firmam efficere, ne relapsentes in scelera & impietatem, illud, quod prouerbio fertur, ut idē dicit, nobis contingat, Canis reuersus ad suū ipsius uomitum, & sus lota, reuersa ad uolutabrum coeni. Clamemus itaque ardentibus uotis, ac precemur Deum omnipotentē, æternum

DE FIDE IUSTIFICAN.

æternū patrē domini nostri IESU
CHRISTI, ut hac fide nostra corda
illuminare uelit, ac gratiam suam
elargiri, quo omnes nostras cogita
tiones, studia & labores, ad gloriā
nominis sui, ecclesiæq; filij sui dile
cti augmentum, nec non proximi
utilitatē dirigamus. Cui sit honor
& laus in secula seculorū, Amen.

VERVM EST,

*Fides que non est sola, sola tamen
iustificat.*

9
193469

ULB Halle 3
004 396 014



Sp.

710







DE FIDE

JUSTIFICANTE DISP
tio Guolfgangi Pfenteri, pro
cultatis Theologicae statutorū
iussis exequendis, in schola
Lipsensi, publicè ha
bita.

ANN O

M. D. KLIII. die XXII.
Augusti.

14.

F 16

